

P R A E F A T I O.

ti orbi terrarum restituendo Euangelium attulisti, quum maxima pars illorum Christianorum ipsa Christi lingua utatur. Quum enim solius typographiæ usu uideamus hodie cuiuscunque generis doctrinas, opiniones, dogmata, quantumuis etiam pessima aut uana, totum in orbem transfundi: dubium non est, quin illud ipsum per purissimam illam Euangelij lucem in lingua Redemptoris à te primò expositam facias, quod Satanæ factiones eadem typographia duce faciunt. ita ut, ex quo mundus est creatus, nullus Rex fuerit te uno ob hanc rem foelicior. At ut uideas quàm longa nobis uia supersit, in Ismaelitis etiam suæ amplissimæ linguæ usu per Euangelij Arabici typographiam ad Christi regnum attrahendis, & quàm etiam latè pateat sceleratū Chamesitarum Babylonisq; alumnorum regnum: in eodem Opere exposui successum rerum, quæ toto in orbe terrarū sunt gestæ: ita tamē, ut ex mea expositione assidua diuinæ Dei & Domini N. IESV CHRISTI cura & particularis prouidentia uideatur, donec Christianismo nō tantum duce Autoritate sacra, (quæ facta est toti orbi, maximè autem nostri sæculi nescio cui Christianismo summa hypocrisi & tyrannide latente refertissimo, plusquàm ridicula) sed maximè duce Ratione naturali, cuius solius illuminandæ & restituendæ gratia Christus & AD NOS & INTRA NOS aduenit, munito & roborato, non tantum intelligamus credenda, sed etiam toti orbi terrarum rationem de ea quæ est in nobis fide reddamus. Es-

6. ent